

P d. 67.

nicht verfilmbar

II Gymnaeus, Joh. Jacob

mebr 29-46)

Ed 67
nicht weiter verfilmbar
nicht PK

(30) = NF

Pfälz. Wappen (durch)

18

THESES
DE GEMINAE SVB-
STANTIAE GIGANTE DOMINO
NOSTRO IHESV CHRISTO ETC.

*Ex 5. capite Micheæ potissimum conscriptæ, & ad
disputandum propositæ.*

à

M. ELIA SCHADAEO ECCLESIASTE
& Professore Argentoratensi:

Ad quas

Spiritus Sancti gratia Respondebit

M. ANDREAS FALCKENBERGERVS
Griskirchensis SS. Theologiaz Studiosus 16.
Decembris hora octaua.



Ed 67

ARGENTORATI
Excudebat Antonius Bertramus.
M. D. LXXXVII.

Elias Schade

PERPETUA
A FINE QVI
GENERO SO ET INCLYTO
DOMINO D. SIGISMUNDO à POLHEIM,
IN PARTZ ET STEINHAUS, ETC. CAES;
Maiest: Confiliatio, Domino & Mœcenati
suo perpetua vice Colendo.

M. ANDREAS FALCKEN-
berger Griskirchensis.

Hanc disputationem:

Ex SCHOLIS THEOLOGICIS REVERENDI
D. M. ELIAE SCHADEI ECCLESIASTAE
& Professoris Argentinensis, Præceptoris
sui obseruandi congestam.

Gratitudinis & obseruantiae
debita causa dedicat.

1788. 1. 11

THESES
DE
Geminæ Substantiæ Gigante
Domino nostro Iesu Christo, &c.

I.
Great Ntemenses aliquot de Spiritu Sancto disputauimus,
iam de Domino nostro Ihesu Christo piam & vñtrutus
instituimus.

II.
Non quod S. Sancto posterior sit vel inferior: Nihil enim in
Trinitate, (ut Symbolon D. Athanasij habet) prius aut poste-
rius, nihil maius aut minus: sed quod S. S. de ipso testatur, eumq;
glorificat. Iohann. 15. & 16.

III.
Hæc aut̄ testatio & glorificatio non solum in N. Testamento
facta est, in & per Apostolos: Verum etiam in V. Testamento per
prophetas.

IV.
Vnde etiam ipsemet Christus ad Prophetarum testimonia pro-
uocat: & Apostoli suam de Christo doctrinam testimonio ipsorum
confirmant: illorum sermoni tanquam Lucernæ lucenti in ob-
scuro loco, attendere iubent.

V.
Ad prophetarum autem laudabilem illum numerum Mi-
cheam quoq;, (quem nuper in Scholis theologicis enodauimus)
pertinere extra controvèrsiam esse existimo.

VI.
Nam & in Veteri Testamento, Hieremiac 26, & in Nuevo
Matth: 2. item 24. & Iohann: 7. autoritatem habet, & genus do-
ctrinae, cum aliorū, in primis vero prophetarum principis Iesaiæ,
qui & σύγγονος eius fuit doctrina plane consentit.

VII.
Duae enim præcipua cum sint partes totius doctrine Cœlestis,
Lex & Euangeliū: utramq; magno studio, zelo & perspicuitate
tractat.

ad



VIII.

Ad Euangelium autem inter alia maximè pertinet Caput
4. & 5, in quibus multa præclara de Christo profert.

IX.

Tam vero certum est de Messia isthac dici: ut obstinati etiam
Iudei ea negare non audeant.

X.

Quamvis quæ ipsorum improbitas est, à Ihesu Nazareno con-
tra ipsam Veritatem & illustria testimonia, eadem longissimè
remouere, anxiè & frustra laborent.

XI.

Nam & personam eius ex duabus diuersissimis naturis con-
stantem definit, & veriusq; nativitatem, alterius quidem tem-
pus, alterius locum designat, officium & beneficia indicat, Regnū
quoq; eius tempus & locum & amplitudinem, subditorum stu-
dium, felicitatem, & conditionem in hoc mundo, multis verbis
describit & figuris illustrat.

XII.

Est itaq; Christus testimonio Michea (vi & aliorum Prophe-
tarum) Verus Deus & Verus Homo.

XIII.

Et quidem Deus est: quia ab initio ante secula egressus eius
constituit, & nomen Sanctissimum IEHOVAH quod semper &
soli vero & aeterno Deo conuenit, ei tribuit, & opera ei planè di-
uina ascribit.

XIV.

Homo autem est, quia certum natale solum siue patriam &
matrem, & opera quæ homini conueniunt, ei assignat.

XV.

Vtriusq; autem eius naturæ nativitas mirabilis est & singu-
laris: Nam secundum diuinam, matrem nescit: secundum huma-
nam, Patrem in terris non habet: ideoq; rectè Hebraor: 7. cap.
& μητρα καὶ αποτελεῖ appellatur.

Patriæ

XVI.

Patria eius secundum humanam naturam, non Metropolis Hierosolima, sed paruum & obscurum oppidum Bethlehem cognomento Ephratha celebratur.

XVII.

Matrem vero eius nat^r ἐξοχⁿ IELEDAH parientem appellat, procul dubio talem, qualem eius collega σύγ^oνο^r Iesaias cap. 7. constituit, Virginem videlicet, ante, in & post partum, ut Sancta recte credit & confitetur Ecclesia.

XVIII.

Quia ut non ex virili semine, sed mystico spiramine conceptus est mirabiliter: ita etiam in & post partum claustra pudoris permanerunt, & processit de thalamo suo, pudoris aula regia, gemina Gigas substantiae, ut pie canit Ecclesia.

XIX.

Deus igitur est verus de Deo (ut Symbolum Nicenum habet) vero: genitus, non factus, consubstantialis patri, per quem omnia facta sunt.

XX.

Et natus ex patre, sive ex substantia Patris ante omnia secula genitus: & homo ex substantia matris in seculo, certo in loco & tempore natus.

XXI.

Et ut perfectus Deus est, ita etiam perfectus homo, ex anima rationali & humanac arne subsistens: & per omnia nobis, excepto peccato, similis.

XXII.

Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed unus est Christus.

XXIII.

Et unus, non conuersione diuinitatis in carnem, nec mutatione carnis in Deum, nec naturarum confusione seu cōmixtione: sed assumptione humanæ naturæ adiuina in unitatem personæ.

A. 3 Vt

XXIII.

Vt sicut anima rationalis & caro unus est Homo: ita Deus & Homo una sit persona, siue unus Christus.

XXV.

Vt commode ad ipsum, enigma illud de glacie referri possit: Sum quod eram, nec eram quod sum, nunc dico utrumq.

XXVI.

Talis autem miranda duarum istarum naturarum unio: propter nos homines & propter nostram salutem facta est.

XXVII.

Quia enim Mediator inter Deum & homines esse voluit & debuit: utrig etiam communicare & agnatum esse oportuit.

XXVIII.

Et hominem quidem ideo esse oportuit: ut non tantum hominibus condolere, eosq; de voluntate Dei docere, sed pænam etiam quam diuina iustitia flagitabat, in se suscipere, & auctor per soluere posset.

XXIX.

Deum vero etiam esse necesse fuit: ut iram Dei quae ignis consumens est sustinere, premium aequivalent persoluere, peccatum expiare, mortem & Satanam vincere, & Ecclesiam suam adversus satan& & mundi tyrannidem defendere, & ad vitam eternam perducere posset.

XXX.

Hac eius officia & beneficia. Michæas, Doctoris, Regis, Dominatoris, Pastoris & Pacis nominibus indicat.

XXXI.

Et Doctorem eum ideo nominat: quod viam suam, hoc est, veram rationem cognoscendi Deum ipsiq; placendi docturus sit.

XXXII.

Regem vero & MOSCHEL siue Dominatorem, quod in meo dio inimicorum suorum, vt Psalm: 110, ait, potenter dominatus sit, quaratione etiam Porez perruptorem cap. 2. appellat: inter homines vero, vt David in verbis suis postremis 2 Sam: 23. testatur,

testatur, in timore Domini, hoc est, iuste, humiliter & humanes,
ut qui ipse Deum verè colat, timorem Dei doceat & timentes
Deum singulari fauore complectatur.

X X X I I .

Pastorem etiam nominat, talem videlicet, qui omnia ea praestiturus erat, quæ David Psalm: 23. in suo Idilio canit, & ipse etiam Christus Iohann: 10. promisit, & reuera præsttit.

X X X I I I .

Pacem deniq; etiam eum appellat, quod & autor, & effector veræ pacis inter Deum & homines sit, omnisq; adeo fælicitatis & salutis, quæ Hæbrai vocabulo SCHALOM complectuntur.

X X X V .

Hæc autē eius beneficia non tantum ad Iudeos, sed ad Gentes etiam pertinere Micheas affirmat.

X X X V I .

Quorum officium & studium esse debet, Viam hoc est doctrinam eius, quæ è Zion & Hierusalem exiuit, studiose discere & insemitis eius ambulare, hoc est, & Religionē, & Vocationis officia secundum Verbum eius instituere, quod capite 6. Facere Iudicium, diligere beneficentiam, & humiliter ambulare cum Deo suo, appellat.

X X X V I I .

Præterea ambulare in nomine Dei sui in eternum, & ultra, hoc est constanter in veræius religione perseverare, etiā si omnes reliqui populi, & quisq; in nomine Dei sui ambulet, hoc est diversas religiones & opiniones sectentur.

X X X V I I I .

Quales sunt primum occæcati Iudei, qui Verum illum Messiam reijcientes, commentitum quandam expectant.

X X X I X .

Deinde Mahumedita, qui non vias Domini, sed impij & exerandi Mahumeda viam, tanquam Deum suum sequuntur.

X L .

Hæretici item, quorum infinitus penè est numerus, & procedendi modus diuersissimus.

XLI.

Quidam enim Christi diuinitatem vel omnino negarunt, ut Cerinthus & Ebion: vel personam eius distinctam à Patre, ut Samosatenus, Photinus, Sabellius & Seruetus hispanus: vel nuncupatione tantum esse Deum affirmarunt, ut Arrianus: Quidam etiam, ut Nestorius duas in Christo naturas in duas quasi personas distraxit, & Mariam Θεόνον esse negauit, ut & alia quæ ex Idiomatum communicatione dependent.

XLII.

Quidam Vero humanam Christi naturam negarunt ut Marcionitæ & Manichæi, qui non Verum sed phantasticum corpus assumpsisse & spectri instar apparuisse, contenderunt: Et Eutyches, qui naturam diuinam in humanam conuersam sensit. Et Apollinaristæ, qui Christum tantum corpus absq; anima, & loco animæ diuinitatem habuisse, existimarunt: atq; Valentini-ani, qui Christum carnem suam cœlitus attulisse, & per uterum virginis tanquam aquam per canalem transiisse, nihilq; inde accepisse, voluerunt: quem errorem quidam Anabaptista nostro saeculo reuocarunt.

XLIII.

Huc etiam Heluidius pertinet: qui tametsi humanitatem Christi non negauit: tamen negando virginitatem Mariae, de Iosepho ipsum conceptum & aliorum hominum lege natū, contra clarissima Prophetarū & Euangelistarū Testimonia contendit.

XLIV.

Quidam deniq; qui de persona quidem rectè senserunt, officium eius vel negarunt vel extenuarunt: ut Pelagiani & iustitiarij, qui homines lege Mosis, vel naturæ, saluari, vel suis viribus si non totam mereri salutem, tamen eam vel inchoare, vel conseruare & perficere statuerunt: quem errorem etiam Pontificij tueri conantur.

XLV.

Horum omnium Vias auias declinare & fugere pios Christi discipulos decer: & unicam illam Viam, quam ipsem et docuit, & Aposto-

& Apostolis docere præcepit, sequi, in eaq[ue] constanter ad finem
usq[ue] permanere.

XLVI.

Atq[ue] hac est vera & catholica Prophetarum & Apostolo-
rum, totiusq[ue] Ecclesia quae super fundatum illorum extructa
est, de Christo Fides.

XLVII.

Quis quis igitur fideliter & firmiter eam tenuerit saluus eris:
qui vero eam pertinaciter impugnauerit, blasphemauerit, vel
negauerit absq[ue], dubio in eternum peribit.

ΠΟΡΙΣΜΑ.

I.

Cum de naturitate Christi agimus: non alienum erit, si relata
quorum etiam hominum ortus examinemus.

II.

Quatuor autem in Uniuersum modi reperiuntur, quorum
tres singulares sunt atq[ue] diuersi, quartus communis & naturalis.

III.

Adami nimis Protoplasti ex limo terra formatio, & spi-
raculi Vita in nares eius insufflatio: Heua ex costa Adami ex-
tructio: Christi in utero Virginis diuina conceptio, & ex eodem
in lucem egressio: Reliquorum omnium consimilis & naturalis
lege ex mare & femina est productio.

IV.

Et quamvis haec postrema naturalis esse omnino videatur, en-
tia ratio & modus à physicis explicari possit, & in sacris etiam
litteris ostendatur: tamē, si & Doctorum sententias, & sacrarum
literarum hac de re testimonia perpendamus: hominem quidem
totum de homine, ut & in reliquis animalium speciebus simile
de simili, procreari, fateri cogimur, opus tamen non solius na-
ture, sed Dei omnipotentis & sapientis, miraculosum & imper-
scrutabile esse, intelligemus.

A 5

V.

Beatus enim & qui à patientia commendatur, Iiob cap: 10
Vers:8. & sequentib. his verbis suam, & in sua etiam aliorum
hominum nativitatem describit, eog, argumento diuinam mis-
ericordiam exorare conatur, inquiens: Manus tuae finxerunt me,
ac fecerunt mesimul per circuitum, & absorbes me. Memento
quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me.
Nonne sicut lac liquefecisti me, & tanquam caseum coagulasti
me. Cate & carne Vestisti me, atq, ossibus & neruis cooperuisti
me. Vitam & misericordiam fecisti mecum, & visitatio tua cu-
stodit spiritum meum.

V.I.

Et Reginus Vates Dauid psal. 139. Versu 14. & seq. sic inquit.
Tu posseidisti renes meos & texisti me in utero matris mee. Cele-
brabo te propterea, quod terribiliter mirificatus sum: admiran-
das sunt opera tui, & anima mea cognoscit abunde. Non fuit oc-
cultatum os meum à te (q. d. ne unum ex ossibus meis) quando
factus fui in occulto, quando contextus fui in inferioribus terræ.
Informe meum viderunt oculi tui, ac si in libro tuo uniuersa
scripta fuissent, cum per dies formarentur, nec ullum ex illis ex-
taret. Itaq, apud me quam preciosæ sunt cogitationes tuae ô Deus,
quam numerosæ sunt summe earum. Si numerare vellem, arenam
superarent: ex parte factus adhuc tecum sum.

VII.

Et sapientissimus totius naturæ indagator Salomon Eccles:
11. Versu 5. formationem hominis pro exemplo imperuestigabili
his verbis adducit: Quemadmodum tu ignoras quæ sit Via spi-
ritus, & quomodo ossa in Ventre prægnantis: sic nescis opera Dei
quæ facit omnia. VIII.

Pio itaq, & grato animo, opera illa miranda Dei in creatione
Adam, extictione Henæ, & omnium nostrum formatione ag-
nosceret nos decet: in primis vero admirabile Filij Dei cum hu-
mana natura conseruum propter nostræ corruptæ naturæ repa-
rationem suscepimus venerari vera fide amplecti & celebrare.

FINIS.





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



18
**THESES
GEMINAE SVB-
ITIAE GIGANTE DOMINO
STRO IHESV CHRISTO ETC.**

*capite Micheæ potissimum conscriptæ, & ad
disputandum propositæ.*

à

**LIA SCHADAE O ECCLESIASTE
& Professore Argentoratensi:**

*Ad quas
Spiritus Sancti gratia Respondebit*

**ANDREAS FALCKENBERGERVS
Griskirchenfis SS. Theologiae Studiosus 16.
Decembris hora octaua.**



Ed 67

**ARGENTORATI
Excudebat Antonius Bertramus.
M. D. LXXXVII.**